



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo S. Bartholomæi Apost.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

4.

*DOMINE, non est tibi cura, quòd
soror mea reliquit me solam ministra-
re? Luc. 10.*

Nisi perspecta nobis esset Marthæ sancti-
tas, ac simplicitas, qua Mariam ad societatem
laboris voluit amandari, arbitrari quis posset,
eam invidisse Mariæ sorori, quòd hæc sola fru-
eretur alloquio Domini. Planè multi sunt,
quos talis æmulatio ac zelus exstimulat: ne-
que semper reprehensibilis est talis æmulatio.
Ut autem bona sit, considerari debet res, quæ
tali æmulatione appetitur: finis, propter quem
appetitur: media, quibus ad assequendum u-
taris. *Mense VI, Disc. 178. pag. 448.*

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

I.

*Virtus de illo exhibat, & sanabat omnes,
Luc. 6.*

Totum se nobis Christus tradidit, qui pro-
pter nos & propter nostram salutem descendit
de cælis. Offert omnibus sanitatem corporis,
& maximè animæ tot vitiis sæpe ad mortem
& interitum laborantis. Agnovit hanc Chri-
sti in omnes liberalitatem ac beneficentiam S.

q 2

Bar-

Bartholomæus, ac in gratitudinis suæ tesseram pellem dedit. Quid nobis agendum? an non amor gratitudinis impellet nos ad respondendum Deo tam copiosè & suaviter nobis indigentissimis benefacienti? *Mense VII. Disc. 212. pag. 559.*

2.

Et turba discipulorum ejus. Luc. 6.

Meritò turbam dicit Evangelista, non fenatum aut concilium; non enim Apostolos Dominum ex viris illustribus aut eruditis legerat, sed piscatores plerosque aut publicanos. De solo S. Bartholomæo apud *Pet. Sanchez de Reg. Dei* legitur, quòd petierit à Christo facultatem utendi priore vestitu, quem nobiliorem attulerat, Christusque, obmurmurantibus reliquis, responderit: *Sinite illum hac veste incedere; veniet tempus, quo non hanc solùm, sed & ipsam pellem pro meo nomine est positurus.* Et illi quidem vestium splendor fortioris martyrii augurium fuit: plurimis autem vana vestium pompa ad vitiorum irritamentum & in ruinam cedit, *Mense V. Disc. 134. pag. 240. adnum. 5.*

3.

Omnia turba querebat eum tangere, quia virtus de illo exibat. Luc. 6.

Et meritò contendebant, ut illum tangerent,

rent, quia erat Sanctus Sanctorum, nec poterat exire à Salvatore, nisi quod prodesset ad salutem: *Cum Sancto Sanctus eris.* Verùm & illud verissimum est: *Cum perverso perverteris.* Non igitur solùm societates manifestò malæ, sed quævis conventicula sunt fugienda, cùm inter multos non possint deesse mali, & facilius bonus à malo pervertatur, quàm malus à bono convertatur. Qui ergo libidinis irritamenta horret, aut fugere aut rarissimè cautissimèque adire debet aliorum societatem. *Mense V. Disc. 134. pag. 252. à num. 5. ad finem.*

4.

Erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6.

Sæpius ad vigilandum nos exhortatus est Christus, dum adventûs sui curam inculcavit, dum dormientibus hominibus superfeminata ab inimico zizania proposuit &c. Hanc doctrinam suo etiam exemplo stabilire voluit, dum in oratione pernoctavit. Non tamen idcirco omni somno nobis interdixit, sed torporem spiritûs damnavit, imò & abusum somni corporis, cùm intempestivè & immoderatè assumitur. *Mense VIII. Disc. 244. pag. 502.*